

chiducis, ejusve hæredum aut successorum, in aliqua Castra, Oppida, Villas, portus, districtus, vel alia loca, quæ subditi prælibati Domini Regis cujuscunque status aut dignitatis fuerit, infra Regna; patrias & Dominia sua, quocunque Titulo tenent, habent, aut possident, aut in posterum habere, tenere, aut possidere continget, aut in eorum aliquid de cætero recipietur, nec per eos aut eorum aliquem recipi permittetur aut tolerabitur: Nec alicui hujusmodi Rebeli in Navibus, gentibus armorum, pecuniis, victualibus, aut alio quocunque modo, consilium, auxilium vel favorem per ipsos subditos aut eorum aliquem, dari aut præstari permittet aut tolerabit, sed ipsos & singulos quoscunque facere palam & expressè prohibebit & impediet. Et si contra hujusmodi Conventionem subditi Illustrissimi Regis Angliæ aut eorum aliquis, aliquid attentaverit, vel attentari fecerit: Quod tunc præfatus Dominus Rex, omnes & singulos sic attentantes, omnibus & singulis, quæ quocunq; Titulo in Castris, Oppidis & Villis, & aliis locis prædictis, se habere, tenere, aut possidere prætendant, illum, illosve ipsius subditos, contra hujusmodi Conventionem attentasse constiterit, Realiter & cum effectu, perpetuo privabit, & priuari faciet.